



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XXX. Gregorii Papae I. Ad Favstum. De ministeriis ecclesiasticis a filio Constantii recipiendis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

## EPISTOLA XXIX.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

De massa Veneris Stephano abbati restituenda.

*Gregorius Anthemio subdiacono Neapolitano.*

**A**QVITATIS ius exigit, vt hoc quod a prædecessoribus nostris cognita veritate est redditum, nostra indebite denuo ecclesia tenere non debeat: ne quod omnino contra religiosum constat esse propositum, non vera, sed imaginaria ac magis dolosa fuisse restitutio videatur. Et ideo quoniam Stephanus abbas monasterii sancti Marci, quod constitutum iuxta muros Spoleranæ ciuitatis esse dignoscitur, questus est nobis massam Veneris in prouincia Campania sitam, territorio Minturnensi, quam ei beata memoriæ decessoris nostri Benedicti redditam præceptione cognouimus, ab ecclesia nostra nunc indebite detineri; idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, vt si manifeste ab ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in iura eam prædicti monasterii sine aliqua mora vel altercatione restituas. Si vero non a nostris, sed a quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere sollicitudine volumus, vt in iure modis omnibus memorati debeat monasterii reformari, quatenus & ipse quod suum est, te solatiante, sine aliqua fatigatione recipiat, & alter de dispendio monasterii iniuste lucrum non habeat.

## EPISTOLA XXX.

GREGORII PAPÆ I.

AD FAVSTVM.

De ministeriis ecclesiasticis a filio Constantii recipiendis.

*Gregorius Fausto.*

**S**ICVT res ecclesiasticæ competentibus personis sine aliqua sunt dilatione reddendæ, ita restituentis \* attendenda cautela est, vt nulla ei possit postmodum ex ipsa nasci restitutione molestia. Et ideo quoniam tempore quondam Consentius defensor paternæ gloriæ vestræ commisi sibi patrimonii Campaniæ curam gessit, ministeria

\*al. adhibenda



ecclesiæ Vulternæ, quæ erat pro peccatis clero & pontifice destituta, apud se propter iniunctam sibi sollicitudinem tulisse dignoscitur, quæ vos nunc reddere sine nostro consensu dubitare cognouimus; eapropter his vos hortamur epistolis, vt ea Anthemio subdiacono sub desuscepti emissione restituere sine aliqua difficultate debeatis; quatenus & res ecclesiæ in tuto apud eos quos conuenit habeantur, & gloria vestra ab omni dubitatione sit libera.

EPISTOLA XXXI.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANTHEMIVM SVBDIACONVM.

De ministeriis ecclesiæ Vulternæ.

*Gregorius Anthemio subdiacono.*

COMPERIMVS ministeria ecclesiæ Vulternæ, quæ Consentius defensor propter iniunctam sibi sollicitudinem deficiente clero vel episcopo eiusdem ecclesiæ tulerat, apud heredem ipsius remansisse. Et quia gloriosum virum Faustum filium ipsius ea reddere sine nostro consensu dubitare cognouimus, nostris eum hortati sumus epistolis, vt experientia tuæ ministeria eiusdem ecclesiæ reddere sine dubietate aliqua debuisset. Et ideo experientia tua ministeria ipsa sub desuscepti emissionem suscipiat, atque in tuto habere studeat, & modum ac qualitatem ipsorum nobis facta notitia omni subtilitate innotescat.

EPISTOLA XXXII.

GREGORII PAPÆ I.

AD ANDREAM SCHOLASTICVM.

De infirmitate eius, & quod flagellat Deus omnem filium quem recipit.

*Gregorius Andreæ scholastico.*

AVDIENS quod gloriam vestram vehementer afflixerit luctus & ægritudo, valde condolui. Sed protinus agnoscens quod te morbus perfecte reliquerit, dolorem mox in lætitiã verti, magnasque omnipotenti Deo gratias retuli; quia percussit, vt sanaret; afflixit, vt ad gaudia vera perduceret. Hinc enim scriptum est: *Quem diligit Do-* Heb. 12.

Mmm iij